



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Et co[m]minuam eos, ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platearum
delebo eos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Sicut Proverb. 7. de eisdem dicit. Tunc inuocabunt me & non exaudiam, ma-
ne contigent & non inuenient me. Synagoga uanissima studia & irrita uo-
ta degenans, quibus sese deo seruire & eum placare credunt, cum ille annun-
tius est Christo, neminem nisi in Christo audire & saluare uelit, Neque enim
est datum aliud nomen sub caelo in quo oporteat nos saluos fieri Act. xv. Ita
hebraea omnia laborant, frustra inuocant, frustra orant, non est eis saluator nec
excusator, nec tamen cessant a sua presumptione indurati, de qua miseria pas-
sim in prophetis multa & horribilia.

Et cominuat eos, ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platearum delebo eos.

Ista cominatio & cominatio psal. primo tractata est satis, quod Iudaei duplici con-
ditione contriti sunt, & facti sicut puluis, quem proicit uentus: Videmus enim
eos toto orbe dispersos, nusquam sedem quietam & certam habitates, nullum regnum,
nullum principatum, nihil prorsus uirium habentes. Multo autem magis in uari-
etate impietates spiritualiter dispersi sunt, dum omnia fide Christi uariis & pere-
grinis doctrinis circumferuntur. Sic & in conculcatione dati sunt omnibus gen-
tibus per orbem, sicut lutum platearum, quod euacuatum, prorsus nulli utile est,
nisi ad contaminandos pedes. Sic Isa. x. erit in conculcationem quasi lutum pla-
tearum. Et hebraeus dicit, Ut lutum platearum euacuabo eos, hoc est, sicut Matt.
v. de Sale insatuato dixit, Ad nihilum ualeat ultra nisi ut mittatur foras, & con-
culcetur ab hominibus. Iudaeis uero & hic duplex est conculcatio, quod & corpo-
raliter omnibus subiecti sunt & contempti, sicut inutile lutum, deinde & ipi-
ritualiter a demonibus per ignominiosam doctrinam.

Obserua emphases, puluerem & lutum platearum, electi sunt, terra solida, bo-
na & locanda, non puluis sterilis uento expositus, Et lapides preciosi, hono-
rabiles, expoliti, non lutum ignobile & uacuum omni utilitate. At sicut e pul-
uere & luto omnia euacuata sunt, quae aliquid sunt, ita & a reprobis, ut nihil
in eis sit, reliquum quod usum habeat in rebus.

Eripies me de contradictionibus populi, Constitues me in caput gentium, Populus quem non cognoui seruiet mihi.

Hic Christus in persona sua loquitur, quod & superius dicta omnia ad per-
sonam eius pertinere possint, eo quod ipse omnia fecit, & Ecclesiam facere eadem
fecit. Clare autem propheta reiectionem synagoga & assumptionem Ecclesiae gen-
tium, sic & Haggei. ij. Christus uocatur desideratus gentibus, & Gen. xlix. Et
ipse erit expectatio gentium. Et Isa. xj. Radix Jesse, qui surget regere populos,
ipsum gentes deprecabuntur, & multis alijs locis, sicut & Ro. xv. aliquot cum
isto praesenti Paulus recenset.

Odiose autem dicit de contradictionibus populi, in quo iustitiam dei com-
medat, & culpam Iudaeorum aggrauat, ac si dicat, Nihil in isto amarulento &
indurato populo, nisi contradictio est, parum fuisse, si non crederent, aut con-
temnerent. At nunc oblatam misericordiam etiam ui persequuntur, & indo-
mito furore resistunt ac contradicunt, quo cogunt se derelinqui & me fieri gen-
tium caput, ut psal. cix. ludicabit in nationibus, implebit ruinas.

Et hic obseruandum, loqui prophetam non de Initiali, sed perseverante im-
pietate &